

1509 gatos cum multo majore exercitus parte prælio interfuisse cognovissent; tamen quod eisdem quoque literis admonebantur, omnium mentes timore prostratas jacere, pedesque in primis, qui retineri non poterant, quin vulgo dilaberentur, seque a signis subtraherent, difficile omnino videbatur reipublicæ oppida vel a victore rege, vel a Julio posse defendere. Erat in templi Marci procuratorum collegio Paulus Barbus, civis sane prudens, diuque multa cum laude in republica versatus. is, quod erat senio confectus, a publicis muneribus abstinens domi suæ aliquot se menses continuerat. huic Lauredanus Princeps misit, qui cladem exercitus nunciaret, & Senatum cogi diceret, ipsumque adesse, si posset, hortaretur. quod ubi senex audivit, vestem senatoriam poposcit, atque ita in curiam membris trementibus se se trahens, orationem, quam tempora poscebant, habuit: *Venisse in Senatum se se corpore infirmo, nullis viribus, ut eam sententiam diceret, quam præsens rerum status pateretur: quorum enim quenque esse, qui in tanta tam repente offusa urbi caligine possit, quid fieri expediat, recte dispicere? gravem esse reipublicæ casum, illius opes fractas debilitatasque esse: exterorum auxilia unde peti possint, non videri: verum, esse Deos immortales, quos ruptis fœderibus hostes violaverunt, eosque neque arma hominum vereri, neque posse decipi ab iis, qui nos in necessitudine ac fide illorum requiescentes, plurimisque nostris maximis atque perpetuis benivolentiæ officiis constantiaque fretos prodiderunt: eos tanti sceleris vindices futuros, reipublicæ auxilium laturos, se confidere.* Hæc ille cum dixisset, ad ea quæ essent procuranda atque statuenda, orationem convertit, quod idem multi magistratus fecerunt. Pluribus igitur dictis sententiis, ut in tam dubiis rebus cuique aliud fore usui succurrebat; primum omnium pecunia legatis, qui se ex fuga apud Brixiam receperant, ad exercitum instaurandum decreta est: nam Cornelius ex morbo paulisper recreatus, dum in castra se referret, clade audita una cum fugientibus eo redierat. tametsi eis e stipendio ante prælium exer-